

# IN CLARISS. D. SIMONIS

ECKII Nuptias Epithalamion. M. IOHAN.  
SALICETI, IAMBICVM.

**S**Ernone carmen nuptiale sobrio,  
Dic Musa castis auribus.  
Non te canentem gentium spuriissima,  
Regant Deorum numina:  
Sed Christiano reddet nobis spiritu  
Tentata saepe ludicra.  
Nam Christianos Christiano conuenit  
Poëma flatu pangere.  
Compone clara uoce nuptialis,  
Meo Simoni encomia.  
Flauos capillos impedita gemmeis  
Nymphæ decentes floribus.  
Ornentur auro uestra molli pectora,  
Charæ maritis coniuges.  
Ad acris aptet membra gratos tibiæ,  
Modos iuuentus impigra.  
Vitæ magistras tetricæ, nec pallida,  
Minerua uoluat paginas.  
Nec officina iam Cyclopum exerceat,  
Laboriosa brachia.  
Mortale peccatum gaudium circumuolet:  
Et festa sit lux omnibus,  
Hæc qua Marina nuptiarum uinculo,  
Suo Simoni iungitur.  
Ornata longo pompa pergit ordine,  
Ad sacra diuum limina.  
Sistro coacta duplice tripudia,  
Cavata reddant tympana.  
Arguta letum carmen edat fistula,  
Inflata leni spiritu.  
Dispersa uulgus Pusionum mobile,  
Nucum fatiget copia.  
Prophana ruris arceantur agmina,  
Ut clarius iam conspicui  
Marina possit, casta matris fæminæ,  
Vitæ probatae filia;  
Et comprobati lege proles seminis,  
A Etate uirgo florida.  
Instructa ritus christiani dogmate,  
Non parca cultrix numinum.  
Ex ore casto uerba promit mitia,  
Bonis decora moribus,  
Humana, simplex tota, fraudis nescia,  
Venusta flauo uertice:  
Niuei lacerti, labra rubro mollia  
Colore, digna basijs.  
Pudica uultus est figura lucidi,  
Ridens genarum gratia.  
Amica curis est manus domesticis,  
Edocta multo brachia  
Seruare partas res labore patrias;  
Laus hæc puellæ maxima  
Quod rura duro reddidere diuitem,  
Paterna culta sarculo:  
Non sacra numi flamma, nec Plutonij,  
Damnanda lucra foenoris.  
Quæstariastris grandibus, res optima.  
Labor beatus rustici.

Fugitiua res, quæ fraude parta est lubrica.  
Auri cupido pessima.  
Hæc laus Marinæ uirginis. sit altera  
Simon mei pars carminis.  
Quem cultor agri, uir pius, laus Patrij  
Pagi Michaël maxima,  
Ex iure nupta procreauit coniuge,  
Communis author Eckij;  
Sectæ ferocis Christianæ militis,  
Germanico quo firmior  
In orbe nullus christiani dogmatis,  
Defensor esse creditur.  
Caduca pulchri res figura corporis.  
Virtute nil præstantius.  
Præclara morum uiuit innocentia.  
Res forma transitoria,  
Virtutis ornat masculos præstantia,  
Non splendor oris floridus.  
Oris figura fæminæ superbiunt.  
Labor uirorum proprius,  
Aut Marte laudes ampliores reddere,  
Aut arte glaucæ Palladis.  
Quapropter ore te diserto iudice  
Transfacta laudant pragmata,  
Nostræ Simon laus patriæ clarissima.  
Doctrina, uirtus elegans,  
Maturarerum plurium prudentia,  
Vitæ candor integræ,  
Et uersa iusti saepe iuris pagina,  
Augusta magni nominis,  
Magno labori conferens insignia,  
Te ad astra tollunt fulgida.  
Laudes uirorum clariores efficit  
Doctrina culpæ nescia.  
O quam beata sponsa quæ coniungitur,  
Probris marito moribus.  
O quam beatus cui Puella corpore  
Pudica toto nupserit.  
Authore Christo tæda matrimonij  
Accensa, res prosperrima.  
Contracta prolis procreandæ fædera,  
Mortale nomen ampliant.  
Quapropter hæc ex corde toto gratulor  
Simonis esse in nuptijs.  
Quem reddit uxor mox Marina liberis  
Pulchris parentem, comprecor.  
Sic iungat horum, & cereas concordia,  
Togata semper dexteræ,  
Vt sit duorum par uoluntas cordium;  
Custos amoris optima.  
Nec ulla rerum temporumue mobilis  
Disiungat inconstantia.  
Sed hinc suorum chara cernat patria  
Largam nepotum copiam.

Deo gloria.

# СИНОНИМЫ ДЛЯ СЛОВАРЯ ПОЧЕТНЫХ ГОСТИНЦЕВ